

licet ex parte modi cognoscendi ex parte nostra connotationem dicant ad creaturas per ordinem ad quas concipiuntur, quæ creaturæ sunt objectum secundarium divinæ cognitionis. Ratio hujus est, quia quantumcumque præscindamus attributa, et consideremus illa in sua linea, et genere, semper tamen ex parte sua remanent entitatis increatæ, et actus puri, alioquin non esset præscindere attributa, sed destruere, non enim quando præcise concipimus misericordiam divinam, vel omnipotentiam, consideramus aliquid creatum, vel abstrahens a creato, et increato, sed accipimus misericordiam, ut divinam, ubi licet non explicetur totum quod in divinitate est, explicatur tamen aliqua perfectio, quæ divina est omittendo explicationem aliarum perfectionum, quia simul omnia non possumus explicare. Hac præcissione supposita, constat quod ista attributa, licet ex parte nostri modi concipiendi imperfecte intelligantur, et cum respectu, et connotatione ad perfectiones creatas, tamen ex parte rei cognitæ refinent perfectionem divinam, et actus puri, licet non tota explicetur in conceptu nostro; ergo etiam retinet immaterialitatem, et intelligibilitatem actus puri ex parte rei cognitæ, ergo primariam, quia intelligibilitas actus puri semper primaria est, et nunquam potest esse secundarium intelligibile, sed est indivisibiliter unum, et idem cum primario. Formetur ergo sic ratio. Attributa divina quantumcumque inadæquate, et præcise concipiuntur, licet ex parte cognoscentis, et modo nostro intelligendi non intelligantur eo modo quo sunt in se, tamen ex parte rei cognitæ non amittunt intelligibilitatem divinam, et actus puri, quia neque amittunt immaterialitatem divinam: ergo præcisio, et inadæquatio attributo-

rum non redigit illa ad ordinem objecti secundarii ex parte ipsius rei cognitæ, sed eandem primariam intelligibilitatem retinent, quia intelligibilitas divina semper primaria est; hanc autem non amittunt, quia remanent entia divina, et per modum actus puri; ergo, etc. Nec obstat quod concipimus illa imperfecte, et inadæquate, et consequenter distincta intelligibilitate. Nam contra est, quia hoc solum convincit, quod ex parte cognoscentis, nos non concipimus illa attributa eâ intelligibilitate, quam ex se fundant ex parte rei cognitæ, sed ea imperfectione qua nos possumus. Ex hoc tamen non sequitur, quod intelligibilitas attributorum si accipiantur sic distincta non ex parte nostri, sed ex parte sui, sit intelligibilitas secundaria, et distincta a primaria, est enim eadem cum intelligibilitate essentiali, licet a nobis non sic apprehendatur ut in se est. Et instatur evidentem, nam etiam divinam essentialiam ut distinguitur ab attributis nos concipimus imperfecte, et per ordinem ad creaturas, et tamen intelligibilitas essentiali ex parte rei cognitæ semper se habet, ut primaria intelligibilitas Dei.

XIV. Dices: Toto hoc dato, solum convincitur, quod attributa sint objectum primarium identice, non formaliter, scilicet in quantum intelliguntur, ut idem cum essentiali, non secundum suos explicitos conceptus secundum quos distinguuntur ab essentiali. Sed contra est, quia etiam sub hac formalitate, et conceptu illius propriæ perfectionis in proprio genere, et linea, vel intelliguntur fundare aliquam intelligibilitatem, vel non. Si non, est extra quæstionem, quia prout sic, nec primarium, nec secundarium objectum erunt, si quidem nullam intelligibilitatem habere intelliguntur, et sic neque in ratione objecti intelligibilis cons-

titui dicentur. Si autem aliquam fundant, adhuc sub illo formali, et explicito conceptu, hæc non potest esse nisi increata, et actus puri, et consequenter indivisibiliter eadem cum primaria, non alia distincta, quæ secundaria sit. Itaque ratio fundans intelligibilitatem in attributis quantumcumque præcisis, semper debet esse aliquid pertinens ad intelligibilitatem primariam, licet non adæquate in eis explicetur tota hæc primaria intelligibilitas, sicut color viridis, vel albus habent visibilitatem primariam, et per se, quæ importatur in ratione colorati, non secundariam sicut motus, aut quantitas vel substantia, non tamen explicant adæquatum objectum visibile, sed inadæquate. Sic attributa divina non explicant totam rationem intelligibilis primarii, secundum suos formales conceptus, et præcisos, sed inadæquate, vere tamen ex parte sui primariam. Et ideo notanter non diximus Personas, et attributa esse primarium, et specificum objectum adæquate, sed pertinere ad objectum primarium quasi inadæquate, et non omni modo explicando primariam Dei intelligibilitatem, sed essentiali divina ut ratio ipsa immaterialitatis, et consequenter intelligibilitatis, attributa ut conditiones, vel proprietates essentiali, Personæ ut termini, seu modi in quibus subsistit. Neque enim esse in tribus Personis est formale constitutum divinæ naturæ, sed talis ratio, et entitas quæ petit tribus Personis terminari, sicut etiam petit alias proprietates, et attributa, et sic tres Personæ radicaliter, non formaliter constituunt.

TERTIA DIFFICULTAS.

XV. Non est quod in illa immoremur, licet aliqui valde in illa an-

xientur, et se torqueant, quia non constituunt divinam naturam in ipso intelligere, qui est actus secundus, sed in aliquo antecedenter se habente, et ideo videtur nostro modo cognoscendi distingui cognitio sui a cognitione suæ cognitionis. Cæterum nos non egemus cognitione ista reflexa Dei etiam nostro intelligendi modo distincta, licet aliqui admittant esse cognitionem reflexam in Deo eminentem, quatenus se ipsum cognoscit. Sed non dicimus reflexam cognitionem ex vi suæ reflexionis importare imperfectionem, quia importat duplicatam attingentiam objectorum, quarum una non tangit id quod altera, sed regreditur supra id quod altera non attingit. Quod ex duplici principio declaro. Primo, in nostra sententia, quia essentiali Dei constituitur, ipsomet intelligere in actu puro. Et ex ipsamet ratione actus puri, ut supra ex D. Thoma ostendimus habet formaliter esse unum, et idem ipsum objectum intelligibile, et ipsa intellectio; ergo repugnat ibi concipere aliquid reflexionis, quasi sit aliquid attactum per modum objecti distincti, a quo fiat regressio ad ipsum intelligere tamquam ad objectum reflexionis. Patet consequentia, quia objectum reflexe attactum supponit aliud directe, et prius attactum saltem ratione distinctum, a quo fiat regressio, et reflexio ad se: sed ante intelligere ipsum non datur objectum attactum tamquam natura divina, quia per ipsum intelligere formaliter, et per se primo constituitur divina natura, et objectum intelligibile in actu puro, est enim idem, atque ipsum intelligere, ergo inter intelligere, et naturam, seu objectum intellectum non datur distinctio, quæ requiritur ad reflexionem.

XVI. Aliud principium est ex eo quod illa intellectio est infinita, et infinite comprehensiva sui, et in-

capax alicujus præcisionis, et cognitionis abstractivæ, quia hæc imperfectionem, et limitationem in sua cognitione importat: in cognitione autem infinita, et comprehensiva, nec habente aliquam præcisionem repugnat intelligere reflexionem aliquam, quia cognitio infinite comprehensiva ex ipsa sua primaria, et formali ratione omne intelligibile involvit, et amplectitur; ergo non potest per regressionem ad se ipsum cognoscendum reflectere, quia ex prima egressione se ipsum fert illa cognitio hoc ipso quod infinita, et comprehensiva est, et sic non est locus regrediendi ad se nisi præcindat unum intelligibile ab alio, et non comprehendat omne. Qua ratione etiam in Angelo se comprehendente in tota plenitudine, cognitionem reflexam negaremus, nisi posset Angelus cum præcisione procedere, et suam substantiam, vel potentias sine comprehensione intellectionis actualis attingere, quia est accidens contingenter adveniens.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVII. Primo, arguitur ad probandum, quod Trinitas Personarum est objectum primum divinæ cognitionis, et non ratione essentiæ. Nam cognitio divina ex sua formali, et specifica ratione est productiva Verbi, ergo ex sua formali ratione respicit Personas, et non solam unitatem essentiæ. Antecedens constat ex D. Thoma infra, quæstione xxvii, artic. 1: « Quod omnis intelligens ex eo, quod intelligens aliquid producit intra ipsum, quod est conceptio mentis, » et inde probat quod datur in Deo processio Verbi, quia Deus intelligit se; ergo formalis, et specifica ratio intelligendi in Deo respicit processionem Verbi. Confirmatur,

quia cognitio Dei formalissime est intuitiva, et supernaturalis, et comprehensiva sui; sed non potest intelligi intuitio, et comprehensio divinitatis, nisi attingantur Personæ, in quibus divinitas existit, et subsistit; ergo formaliter illa cognitio respicit Personas. Similiter Deus ideo est substantialiter supernaturalis, quia est trinus in Personis, si quidem fides, et lumen gloriæ ex eo sunt supernaturalia participative, quia attingunt Deum non solum ut unum, quod etiam ex effectibus naturalibus attingi potest, sed Deum ut trinum, quod solum supernaturaliter potest attingi: ergo ipsa ratio Trinitatis est quæ primo, et per se constituit objectum supernaturale non solum tamquam modificatio, et terminatio, sed per modum rationis formalis ipsius supernaturalis in Deo.

XVIII. Respondetur, quod cognitio divina non specificatur formaliter, nec constituitur in ratione divinæ per hoc, quod sit productiva Verbi, sed ex hoc, quod sit actus purus, licet ex hoc consequatur, quod sit productiva Verbi in aliqua Persona divina. Constat enim quod salvatur cognitio divina in Spiritu Sancto, et tamen ibi non est productiva Verbi: ergo esse productivam Verbi non convenit illi in quantum divina tamquam ratio constitutiva ejus, sed solum convenit cognitioni divinæ, ut fecunda est, et notionalis in Patre, et non absolute pro omni Persona. Nec D. Thomas quando probavit in Deo esse processionem Verbi, quia est intelligens, id probavit ex intellectione divina pro omni Persona, in qua reperitur divina natura, sed solum probavit hanc perfectionem producendi Verbum etiam convenire Deo, quia omni intelligenti convenit, id est, quia in omni natura intellectiva reperitur, non vero quia sit perfec-

tio constituens ipsam naturam intellectivam, sed potius ex eo quod aliquid est intelligens, consequitur, quod sit productivum Verbi, et sic vis rationis D. Thomæ stat in hoc, quod producere Verbum est perfectio conveniens, et consecuta ad naturam intelligentem, ut patet inductive in intellectibus creatis, nulla autem perfectio intellectualis, quæ absolute sit perfectio debet deesse Deo, scilicet ut perfectio consecuta, non ut constitutiva, neque in omni Persona, sed solum in ea, quæ notionaliter, et relative potest opponi, et distingui a Verbo genito, et per modum generantis, et primi principii constituitur in Deo, quod solum Personæ Patris convenit, ut latius dicitur in materia de Trinitate.

XIX. Ad confirmationem respondetur, requiri ad cognitionem intuitivam attingentiam existentiam, et suppositi, non tamen ita quod ipsa existentia, vel suppositum afferat distinctam rationem formalem, vel constituat ipsam quæ est in notitia intuitiva, sed se habet ut conditio in objecto viso sicut per visum externum attingimus colorem existentem, non tamen ipsa existentia est formalis ratio visibilitatis, sed color, ita pertinent Personæ ad objectum primum divinæ intellectionis qua intuitive, et comprehensive ipsum videt, non tamen Personæ se habent ut formale constitutum essentiæ, vel objecti divini, sed ut terminus, seu modus illius; non enim omne quod attingitur per comprehensionem vel intuitionem æquali modo pertinet ad ipsum objectum primum, esto ad illud pertineat, sed quædam pertinent ut ratio ipsa formalis, quædam ut modificationes quædam adæquate, quædam inadæquate, ut explicatum est. Quod autem dicitur Deum esse objectum supernaturale, concedimus, sed non

est dubium quod ipsa essentia divina non solum ratione Personarum, sed etiam ratione suæ substantiæ in quantum est una, supernaturalis est, quia divina, et ordinis divini essentialiter, licet sine Personis videri non possit, quia intuitive videtur et ut est in se.

XX. Secundo, arguitur ad probandum per aliud extremum quod Personæ, et attributa non pertineant ad objectum primum, quia ipsa divina essentia est tota ratio attingendi relationes, et attributa: ergo ipsæ relationes non habent primariam rationem objecti attacti. Antecedens constat, quia essentia divina est ratio immaterialitatis, quæ convenit Personis, et attributis: non vero ex attributis convenit essentiæ, ergo est ratio totius intelligibilitatis, et attingentiæ objectivæ in attributis, et Personis. Consequentia probatur, quia illi convenit ratio objecti primarii in esse intelligibili, cui convenit per se primo immaterialitas ipsa, quæ intelligibilitatem constituit, et ratione cujus convenit Deo ratio speciei in esse intelligibili, sed relationes in quantum tales non dicunt ipsam rationem speciei, tum quia ratio speciei est quid absolutum in Deo, cum per illam fecundetur intellectus paternus ad generandum; tum quia in omnibus Personis tantum est una summa, et prima veritas, et intelligibilitas, redduntur enim Personæ intelligibiles intelligibilitate essentiæ: ergo sola ipsa essentia secundum conceptum absolutum pertinet ad objectum primum, quia ad primam veritatem, et intelligibilitatem divinam.

XXI. Respondetur argumentum probare, quod Personæ, et attributa habent suam formalem, et specificam rationem objecti intelligibilis ratione essentiæ, non tamen probat, quod non pertineant ad objectum primum saltem inadæquate eo

quod ut argumentum probat, intelligibilitatem habent ab essentia, sed non habent aliam, quam ipsius essentiae, et ideo pertinet ad primum objectum, quia non habent aliam intelligibilitatem, quam primarii objecti. Quod ergo dicitur quod essentia divina secundum conceptum absolutum est per se primo intelligibilis, et ipsa species intelligibilis, distingo; ita adæquate ut excludat attributa, et Personas nego; ita quod includat illa quasi inadæquate pertinentes ad ipsam intelligibilitatem primariam, vel tamquam proprietates, vel tamquam modificationes, concedo. Unde hoc ipso quod relationes sub conceptu relativo sunt intelligibiles sub eadem ratione primæ veritatis, et immaterialitatis, sequitur quod pertineant ad primum objectum, quia non aliam intelligibilitatem habent quam primam licet inadæquate, non explicando totum, quod est in Deo.

XXII. Ultimo arguitur: Cognitio essentialis præcedit notionalem nostro modo intelligendi, ergo talis cognitio essentialis non habet pro objecto primario etiam inadæquate relationes, sed tantum essentiam. Antecedens est certum, quia absoluta, et essentialia nostro modo intelligendi præcedunt relativa, et notionalia. Consequentia vero probatur, quia Verbum procedit per cognitionem notionalem: ergo si essentialis cognitio intelligitur præcedere notionalem, intelligitur præcedere ipsum Verbum; ergo non potest habere ipsum pro objecto, et a fortiori neque Spiritum Sanctum, qui procedit a Verbo. Nec potest dici quod in illo signo essentialis cognitionis Verbum, et Spiritus Sanctus objective sunt intellecti, sed non ut procedentes, et producti. Contra enim est, quia si in illo signo Verbum est in intellectu divino objec-

tive, ergo ut cognitum, ergo ut genitum, quia cognosci in illo idem est, quod generari, et esse. Et præterea sequitur, quod Verbum procederet ut imago sui ipsius, quia procedit ut imago objecti primarii, si quidem procedit ut imago illius quo fœcundatur intellectus Patris; fœcundatur autem ipso objecto primario; ergo si Verbum, et Spiritus Sanctus sunt in intellectu æterno, tamquam aliquid pertinens ad objectum primum saltem inadæquate, ab illis procedit Verbum, et est imago eorum saltem inadæquate.

XXIII. Respondetur negando consequentiam. Et ad probationem respondetur, solutione data. Ad primam replicam dicitur, quod in illo priori Verbum est in intellectu divino objective, ut cognitum essentialiter, non ut cognitum notionaliter. Verbum autem non dicitur genitum, nisi per cognitionem notionalem, et in quantum redditur notionaliter cognitum, id est, expressum, et dictum, et relative oppositum suo principio generanti, quod solum a Patre habet, non ut redditur cognitum essentialiter. Et hoc manifeste patet, quia Filius cognoscit se ipsum, et Spiritus Sanctus cognoscit Filium, et tamen non dicitur genitus a se nec a Spiritu Sancto, licet dicatur cognitum ab illis cognitione essentiali, non autem exprimente, et dicente Verbum, quæ solum est notionalis cognitio.

XXIV. Ad secundam replicam respondetur quod Verbum non dicitur imago respectu cujuscumque objecti, quod in se repræsentat, vel a Patre cognoscitur, sed respectu ejus quod habet munus, et officium speciei fœcundantis, et per modum principii se habentis in intellectu, ut exprimat Verbo, nam imago solum dicitur imago respectu ejus, quod exprimit, et cui assimilatur tam-

quam principio suæ expressionis. Licet autem Personæ, et attributa pertineant ad objectum primum inadæquate, non tamen munus, et officium speciei convenit attributis, et essentiae, sed sola essentia reddit intelligibiles relationes, et attributa, ut ratio formalis. Unde sola essentia habet rationem principii fœcundantis intellectum paternum per modum principii, et speciei, et sic Verbum procedit ut simile illi in essentia, et est imago illius ratione essentiae seu naturæ, quæ sibi communicatur, et in qua similis est Patri, non in personalitate, quæ potius illi opponitur. Non tamen dicitur imago sui, vel Spiritus Sancti, aut attributorum, quia licet illa exprimat, et repræsentet ut cognita terminative, non tamen respicit ut principium a quo fœcundatur intellectus Patris in ratione speciei, hoc enim proprie pertinet ad naturam sub conceptu naturæ, quæ est ratio generandi, et assimilandi, ut principium agendi. Quod autem non respicitur ut principium, non dicitur aliquid imago illius, etiamsi repræsentet illud ut terminum et rem cognitam, non ut principium cognoscendi. Imo, et creatura repræsentat Verbum ut res cognita, non tamen est imago illarum ratione dicta. Videatur Div. Thomas infra, quæstione xxxiv, articulo iii ad iii, et quæstione xxxv, articulo i.

ARTICULUS II.

Utrum tota, et unica ratio cognoscendi se, et creaturas sit essentia divina, et quomodo?

I. Duo in præsentis articulo tanguntur. Primum, an Deus ita habeat pro ratione motiva suam essentiam ad cognoscendum se, quod nullo modo possit uti creatura tam-

quam motivo, et ratione cognoscendi se. Secundum, an ipsa divina essentia ita sit primum objectum in divina cognitione, quod sit etiam medium cognoscendi creaturas tamquam res prius cognita, et ratione sui, an vero ut ratio cognoscendi non prius cognita, sed ut id quo aliquid cognoscitur. Constat enim duplex esse medium cognoscendi aliquid; unum quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius, sicut præmissæ ducunt in conclusionem effectus in causam, signum et imago exterior in rem præsentatam. Aliud est medium quod facit cognoscere sine eo, quod sit prius cognitum, sicut species repræsentat objectum sine eo quod prius cognoscatur: Et inquirimus an divina essentia ad cognoscendum creaturas se habeat ut primum medium, an solum ut secundum.

PRIMA DIFFICULTAS.

II. Circa primum, opinio est quam approbat pater Herice hic tractatu i disp. iv, cap. ii et iii, quod Deus non solum cognoscit se ipsum in se ipso, sed etiam in creaturis, non quidem concedendo aliquem discursum etiam nostro modo intelligendi Deum, ita ut sit quasi duplex cognitio formaliter, alia qua ex creatura cognoscatur Deus; hoc enim est valde imperfectum, sed quod unica, et indivisibili cognitione, visa creatura, in ipsa cognoscatur Deus, ut terminus illius ibi in obliquo inclusus, quatenus est effectus Dei, non quidem cognitione intuitiva Dei, quia non sic continetur Deus in creatura, sed solum connotative, et quoad an est, quæ est cognitio abstractiva non formaliter sed eminenter, et æquivalenter, quatenus cognoscit creaturam terminari ad Deum existentem, et sic cognoscit